

ventre per aliquod jam annos habere sibi imaginantem, curasse tandem, ac à falsâ istâ opinione liberasse, dicit. Ita *Paul. Zachias Medic. Roman. Quæst. medic. legal. l. 2. t. 1. Q. 3.* plures hoc modo delirantium congregavit historias; inter quas ea præcipue notatu digna est, quam de viro quodam in hospitali, hoc affectu laborantibus, ac delirantibus dicato, asservato ac detento habet: is enim intrantes illud omnes, comiter excipiebat, illisq; de omnium ægrotantium conditione ritè & ordine exponebat, nec ullum se eodem teneri indicium ostendebat, donec ad aliquem eorum perventum esset, de quo dicebat; Illum sibi falsò imaginari se Spiritum esse sanctum; cum tamen ego, inquit, verè sim Spiritus Sanctus. Ac sic in eo solò depravatè ratiocinabatur. Similem ferè historiani *Senn. ex Huart. Scrutin. ingenior.* deprompsit. ac *l. 1. pr. p. 2. c. 8.* inseruit, de puero quodam qui in eo solum delirabat, quod totius mundi monarcham se esse crederet; de republ. verò administranda benè differeret ac prudenter. Et occurruunt passim tales in autorum annotationibus Historiæ: ut unus caput sibi amputatum putaret; alter, referente Lemnio *2. d. complex. c. 6.* ex vitro nates sibi conflatas existimaret: quidam se ex butyro compactum crederet, proindeq; ignem fornacesq; fugiebat. Sic marcellus *Donat. d. bistor. medic. mirab. l. 2. c. 1.* refert; Senensi cuidam nullo modo persuadere potuisse, ut urinam redderet. Ajebat enim, si mingeret, totam urbem diluvio peritutam: quem ad lotium reddendum, eo perduxerunt commen-  
to. Pulsatis campanis ad insanum undiq; concurrunt, magno totam urbem jam positam esse in incendio, indicantes, maximisque rogantes modis, ut redditâ urinâ, civitati ob incendium periclitanti, opem ferret. Ita *Henric. ab Heer. Observat. oppidò rarar. obs. 27.* commemorat. Se aliquando Leodi ad illustrem quendam vi-ram accitum, ab eoque interrogatum fuisse, sibi uti dicat; num cal-  
culo vesicæ laboraret: cum verò ex illo iterum quæsivisset; quisnam calculosum cum judicaret? indignabundum quasi respondisse; ego memet ipsum; nec ulla persvassione à conceptâ istâ opinione ac ima-  
ginatione, dimoveri potuisse. Et idem, aliam quoque huic non ab-  
similem eodem descriptis loco: de monacho quodam, cui Empiri-  
cus quidam persuaserat, quam primum de lecto surgeret; ventricu-  
lum ipsi in scrotum descensurum: qui propterea nullis precibus ad-  
ducit.